INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXIII—IV

A DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

DE ORIGINE TRAGOEDIAE

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEFATUS EST.

LITERIS ADLERIANIS.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010



Est genus hominum, qui ingenii vitio de rebus dubitant omnibus, nihil unquam ausi credere. Quod tametsi valde reprehendendum est, tamen in literis pervestigandis parum equidem malim quam nimium credere. Namque ut in rebus religiosis, quarum partim sicut captus est hominum difficiles intellectu sunt nec tam demonstrari volunt quam credi, magnam vim id ipsum habet, posse te credere: ita in literis quum aliis tum eis maxime quae insigni obscuritate involutae sunt, praecipua quaedam virtus censetur, ingenio esse incredulo. Quum enim hic ad verum indagandum omnia referantur, docti est vera quaerere, quaesita si fieri possit invenire, inventa plane scire, sin veritas adhuc lateat, veri simillima sequi, sin quid inveniri non possit, id penitus nescire, postremo omnia bene perscrutari, nihil temere credere. Sed quae res sciri vix possunt, earum pars tam tenuis atque exigua est, ut serio ne quaerenda quidem esse videatur: quemadmodum Tiberius imperator joco quaesisse dicitur, quod Achilli nomen inter virgines fuisset, quidve Sirenes solitae essent cantare? Ab aliis vero literarum partibus, quibus et ipsis tenebrae adhuc offusae sunt, maximarum rerum momenta pendent: quae omnia, dum ulla reperiendi spes supersit, omnino perquirenda sunt, ne aut tute (quo nihil turpius est) in errore pristino perseveres, aut ut aliorum errores opera tua tandem corrigantur.

Ad hoc postremum genus locus de tragoediae graecae origine pertinet, quem locum nunc paucis placet attingere. Thespis igitur, qui Ol. 61, 2. (535 a. Ch. n.) primum tragoedias docuit, idem ut Horatio A. P. v. 276 aliisque permultis visum est, ipsam tragoediam invenit, ut inter omnes constat, certe unum invenit actorem choroque suo adjecit (Diogenes L. III, 56: *τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορόν*). Neque tamen chorus solus antea cantaverat, sed id quod e verbo Diogenis l. l. *διεδραμάτιζεν* aliisque indiciis perspectum est, coryphaeus chori jam tum fuerat interlocutor, quam rem Pollux IV, 123 fin. diserte testatus est. Adeo Thespis uno actore ad chori ducem addito duo jam habuit, qui nunc singuli verba facerent nunc ambo inter se colloquerentur. Neque enim Philostratea Vit. Apollon. VI, 11: *τὰς τῶν ὑποκριτῶν ἀντιλέξεις εὗρε* repugnant, sed ad secundum actorem pertinent ab Aeschylo additum. Ceterum unus Thespidis actor plures per totam fabulam videtur personas egisse, praesertim quum Thespis personas linteas invenisse ab Suida s. v. *Θέσπις* dicatur. De quibus rebus vide inprimis C. F. Hermannum De distrib. pers. in trag. p. 14 sq. caetera optime disserentem, praeter id quod Aristoteleis Poet. IV, 16: *τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν* (*Αἰσχύλος*), quae nihil ad hanc causam attinent, uti non debuit. Nempe in hoc loco, quem ne caeteri quidem intellexisse videntur, Aristoteles *τὸν λόγον* de solo tragoediae argumento choris opposito attice usurpavit. Porro et Aristoteles ibidem IV, 14 et Zenobius V, 40 et alii e dithyrambo potissimum tragoediam natam esse testantur ac ne comoedia quidem vetus Cratini, ut ex Hesychio s. *Πυρπερέγχει* patet, dithyrambo abstinuit. Ceterum quaecunque

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010 3 of 16

de Thespidis tragoedia accepimus, ea ab dithyrambi Pindarici splendore tam longe abhorrent, ut sannione et scurra attico digniora esse videantur, quam primo tragicae poesis auctore. Ipse enim Thespis saltator fuit (Aristoteles ibid. § 18, Aristoph. Vesp. v. 1478 sq., Athenaeus I. p. 22, a), tragoedia Thespidis primum subita et ex tempore fusa (*αὐτοσχεδιαστική*, Aristoteles l. l. § 14), tum ambitu brevis, genere toto ludicra atque ea satyrica (Aristoteles ibid. § 17 sq.) Quin ne satyri quidem Thespidis multum laudis meruerunt, sed post Thespin Pratinas demum fabulas vere satyricas primum composuit (Casaubonus De Satyr. Poes. p. 120 sq.). Deinde Thespis aut omnino nihil scripti in vulgus edidit, uti Bentlejo De Phalar. p. 281 ed. Lips. visus est, aut si quidquam ediderat, id certe paullo post in oblivionem abiit. Qui autem sub Thespidis nomine versus feruntur complures, eos partim ab Heraclide Pontico suppositos esse Bentlejus l. l. e Diogene L. V, 92 certo demonstravit, post quem Nauckius Trag. Gr. Fragm. p. 647 bene vidit unum Pseudo — thespidis fragmentum, quod Clemens Al. Strom. V p. 675 habet, aliquanto post Heraclidis tempora fictum esse atque adeo post Christum primo exstitisse. Ceterum de Suidae loco sub *Σοφοκλῆς* —: *καὶ ἔγραψεν — λόγον καταλογάδην περὶ τοῦ χοροῦ, πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος* sic habendum est. „Sophocles, inquit, scripsit sermone pedestri de choro, adversus Thespin et Choerilum disputans (*ἐρίζων*).“ Hoc libro Sophoclis (qui tertium invenit actorem) chori breves illi quidem, sed vere tragici choris Thespidis Choerilique jure praelati erant. Fugit autem viros doctos, hunc Sophoclis librum spurium fuisse et adulterinum. Verum hujus operis auctorem nescio, hoc tamen scio, rem et materiam Chamaeleontis ingenio dignam fuisse. Nam *Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Θέσπιδος* ab Photio p. 357, 13 sive Suida s. *Θυδὲν π. τ. Δ.* et *περὶ Αἰσχύλου* ab Athenaeo IX p. 375 f. et X p. 428 f. affertur. Nunc ad Thespin redeo, qui nec tragicus, nec lyricus poeta, neque omnino magnus poeta vere fuit, sed magnus saltator et fabulae editor satyricae, qua et Bacchi res contineri solerent et cujus chorus e satyris constaret ludibundis (Bentlejus De Phalar. p. 284). Contra flebilis tragoediae et tanto nomine dignae primum auctorem Phrynichum novimus Thespidis discipulum (Plutarchus Sympos. I, 1, 5: *Φρυνίχου καὶ Αἰσχύλου τὴν τραγῳδίαν εἰς μύθους καὶ πάθη προαγόντων*). Tamen Phrynichum qui tragoediae auctorem nominarit, praeter Pseudoplatonem in Minoe p. 321, A: *ἡ τραγῳδία — ἀπὸ Θέσπιδος ἀρξαμένη — ἀπὸ Φρυνίχου* novi neminem. Aeschylum autem Quintilianus nominavit Inst. Or. X, 1, 66: „Tragoedias primus in lucem Aeschylus protulit.“ Quae quum ita sint, non Phrynichus sed Thespis pro vero tragoediae inventore propterea maxime habitus est, quod ante Thespin actor peculiaris nullus fuerat. Nam sermocinatione et colloquio carere vera tragoedia nullo modo potest, choris tragicis (quos Phrynichus eximios scripserat) aequo animo caret, sicut omnibus choris et Romanorum tragoedia caruit et tragoediae recentiores eaeque luculentissimae carent Shakespeari, Goethi, aliorum. Sed temporum illorum bene memori comparantique Plutarchi fabellam (Vit. Solonis c. XXIX. fin. cl. Diogene L. I, 59) Thespis fortasse non magis ingenii culpa quam Atheniensium superstitione videbitur impeditus esse, ne quid praeter ipsius Bacchi res Bacchi festo edere auderet. Certe hic vir quum Satyros agrestes nudare solitus carmine vere tragico nunquam certaverit: pro satyrici dramatis, qualis est Euripidis Cyclops, primo auctore jure meritoque habebitur, pro tragoediae graecae parente haberi idem nullo modo poterit.

Qui igitur ab Thespide tragoediam esse inventam voluerunt, veluti Casaubonus De Sat. Poes. p. 120, Bentlejus De Phalar. p. 311, Lobeckius, G. Hermannus, alii, illi origines tragoediae penitus latere abditas contenderunt, quae res ab Hermanno minime dissimulata, cum Aristotele autem, qui id nullo dixit loco, non recte communicata est. Contra qui Thespidis aetate tragoediam antiquiorem fuisse judicarunt, ei jam ante Thespin tragoediam (ut ipsi appellant) lyricam exstitisse opinati sunt. Posuit hoc post Vatry Francogallum A. Boeckhius in Oecon. Athen. II. p. 361 sqq. ed. prim. et positum postea saepius defendit. Quam Boeckhi conjecturam Lobeckius in Aglaoph. p. 974 sqq. maximeque G. Hermannus Opusc. VII. p. 211 sqq. refutare studuerunt, quum eadem ab viris doctissimis,

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

quos l. l. p. 212 Hermannus ordine recensuit, ab Welckero, C. O. Müllero, F. Thierschio, A. L. G. Jacobo, Plehnio, G. Schneidewino uno ore comprobata esset. A quibus omnibus Hermannus tantopere dissensit, ut p. 235 lyricam tragoediam eo abire juberet, quo olim egregia Hermanni ipsius opera (in Opusc. I p. 44 sqq.) rem commentitiam abisse scimus, Eichstaedti drama comicosatyricum. Sane ad inscriptiones tres frustra Boeckhium confugisse easque omnes longe aliter explicandas esse et Lobeckius l. l. et Hermannus p. 223 sqq. luculente demonstrarunt. Deinde ad summam rei hac Boeckhi conjectura nihil profectum esse, neque quidquam quod memoria valde dignum sit aut certam historiae fidem habeat, allatum Bernhardyus (Gr. Literat.-Gesch. I. p. 350) bene intellexit. Ac ne illud quidem Boeckhius nos docuit, cujusmodi tandem tragoedia mere lyrica esse potuerit, quam nos nisi dramaticam mente concipere nullam solemus. Omnino hoc potius quaeritur, quo vinculo Epigenis poetae Thespide prioris sive tragica sive lyrica poesis cum Atticorum tragoedia in argumentis, in numeris et metris rebusque omnibus conjuncta fuerit. Quam Epigenis poesin e tragoedia et ea mere lyrica constitisse facilius ego Boeckhio concederem, si id scire nostra magnopere interesset, utrum lyrica fuerit, an ut Hermannus p. 217 finxit, dramatica. Attamen sic quoque Boeckhius magna laude efferendus est, qui de tragoedia, qualis ante Thespin fuerit, id est de re longe gravissima diu multumque cogitaverit. Lobeckius autem viam in tali causa ingressus tutiorem quum p. 975 Epigenis Sicyonii cothurnos acerbo dicto risisset, caeteras res Thespide priores voluntaria quadam oblivione conterere maluit quam explorare vel extremo saltem digito attingere. Ceterum Lobeckius quoque p. 976 Bentleio (l. l. p. 311) adsentiens in his rebus aliquid inesse certi professus est neque unquam dubitatum esse, quin ante Thespidis aetatem prima jacta sint tragoediae fundamenta. Quod ad me attinet, ego quos duces hic fugiam, habeo plures, quem plane sequar, ne Boeckhium quidem habeo. Quamobrem etsi me vestigia terrent, tamen ut aliorum studia denuo excitentur, tam veteris memoriae recordatio mihi videtur repetenda esse et alio modo quaerendum, cujusmodi tandem ante Thespin sive ipsa tragoedia fuisse videatur sive tragoediae mox oriturae elementa.

Comoedia quum primum, ut est in Aristotele Poët. c. IV, 14, e phallicis nata esset, postea tamen ad res Bacchi omnino non pertinuit, sicut in Aristophane unicum superest hujusmodi carmen in Acharn. v. 251 sqq., quocum confer Photium p. 637, 22 et Semum Athenaei XIV p. 622, c. Eodemque modo tragoedia quum primum e dithyrambo orta esset (Aristoteles ibidem: *ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων*, inquit, *τὸν διθύραμβον*), mox tamen ipsa quoque a Bacchi rebus sejuncta est neque quidquam veteris moris permansit, nisi ut tum quoque Liberalibus et tragoediae et comoediae apud Atticos docerentur. Sed eisdem diebus festis Liberi patris postea et dithyrambici seorsim cyclios choros duxerunt et tragici praeter tragoedias drama ediderunt satyricum. Itaque Phrynichi, Aeschyli et post eos caeterorum tragoedia flebilis et a Bacchi rebus aliena a Thespidis tragoedia probe discernenda est, quae et in Bacchi rebus versabatur et eadem erat satyrica et ne dithyrambo quidem carebat. Hinc vel maxime quaerendum est, utrum elementa tragoediae apud Dorienses natae ad Thespidis attici tragoediam solam, an partim etiam ad veram tragoediam, qualem primum Phrynichi novimus, referri debeant. Exordiar autem a dithyrambo, qui jam ante Thespin ab choro satyrico cantatus est, id quod praeter Aristotelem Poët. c. IV, 14 Suidas s. *Ἀρίων* testatur, qui: *λέγεται*, inquit *καὶ τραγικοῦ τρόπου εὑρετὴς γενέσθαι, καὶ πρῶτος χορὸν στῆσαι, καὶ διθύραμβον ᾆσαι, καὶ ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χοροῦ, καὶ Σατύρους εἰσενεγκεῖν ἔμμετρα λέγοντας*. Quae transponendo in hunc modum corrige: *καὶ πρῶτος χορὸν στῆσαι καὶ ᾆσαι, καὶ διθύραμβον ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χοροῦ* —. Et Athenis ipsis Thespidis adhuc aetate chori satyrici (i. e. tragici) dithyrambum cecinerunt, auctore Zenobio V, 40 p. 137 L.: *Οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον*: — *ἐπειδὴ τῶν χορῶν ἐξ ἀρχῆς εἰθισμένων διθύραμβον ᾄδειν εἰς τὸν Διόνυσον, οἱ ποιηταὶ ὕστερον* (scil. inde a Phrynicho) *ἐκβάντες τὴν συνήθειαν ταύτην Αἴαντας καὶ Κενταύρους γράφειν ἐπεχείρουν. ὅθεν οἱ θεώμενοι σκώπτοντες ἔλεγον· οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον. διὰ γοῦν τοῦτο τοὺς Σατύρους ὕστερον ἔδοξεν αὐτοῖς προσεισάγειν* (ita recte Hermannus ad Eurip. Cyclop.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

Praef. p. XI pro *προεισάγειν*), *ἵνα μὴ δοκῶσιν ἐπιλανθάνεσθαι τοῦ θεοῦ.* Hunc Zenobii locum e Chamaeleontis libro „*περὶ Θέσπιδος*“ petitum esse docent Photius p. 357, 5, sive Suidas s. *Οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον*: — *τὸ πρόσθεν εἰς τὸν Διόνυσον γράφοντες τούτοις ἠγωνίζοντο, ἅπερ καὶ σατυρικὰ ἐλέγετο, ὕστερον δὲ μεταβάντες εἰς τὸ τραγῳδίας γράφειν, κατὰ μικρὸν εἰς μύθους καὶ ἱστορίας ἐτράπησαν μηκέτι τοῦ θεοῦ μνημονεύοντες· ὅθεν καὶ τοῦτο* (ita scribendum) *ἐπεφώνησαν. καὶ Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Θέσπιδος τὰ παραπλήσια ἱστορεῖ.* Quum igitur Thespidis aetate chororum satyricorum et cycliorum numeri eidem fuissent: Pratinas tamen postea satyris ab tragoedia secretis satyrici chori rhythmos quoque a dithyrambicis graviter deflexit, quae res e melicis Cyclopis Euripideae, in quibus nihil est dithyrambici, certo sequitur, nec metrici quidam ut Marius Victorinus II, 11, 7 probare contraria possunt. Eodem tempore, si non aliquanto prius dithyrambici poëtae, ut supra conjeci, seorsum choros cyclios Athenis ducere coeperunt. Tragici vero quum dramate mere satyrico recens invento pietati erga Bacchum plane satisfacerent: e tragoedia Phrynichea, quae ab ludicris Bacchi rebus abhorret, et dithyrambum, qui necessario cum Bacchi cultu cohaeret, et numeros dithyrambi removere conati sunt. Hinc chori tragicorum Phrynichei non amplius a dithyrambis pendent, a quibus adhuc pendere vulgo crediti sunt, propterea quod Thespidis chorus dithyrambicus cum Phrynichi et Aeschyli choro male confusus erat. Immo vinculis tragici chori et dithyrambici magis magisque solutis in utroque alia omnia exstiterunt, chori stationes, numerus personarum, saltationis genus, modi melopoiiae atque harmonia, argumentum consiliumque poetae, verborum compositio et novitas, ipsa denique utrorumque numerorum natura. Nam quis cum dithyrambo vetere, ut Pindari ap. Dionysium Hal. De Compos. Verb. c. 22, ullum Aeschyli chorum rhythmorum causa comparare ausit? Itaque quae Boeckhius quum alibi tum De metris Pindari III, c. 14 p. 274 scripsit, „tragicos dithyrambicae corruptionis in rhythmis plenos esse,“ ea omnino vere dicta esse negamus. Euripides sane in tragoediis recentioribus novae musicae corruptione infectus est. At praeterquam quod latius haec corruptela patuit et universam illo tempore poesin lyricam pervasit, omnis haec e recentioris formae dithyrambis contagio non tam ad choros Euripidis pertinuit, qui ne tum quidem antistrophici esse desierunt, quam ad monodias. Quanta enim inter dithyrambum monodiamque recentiorem similitudo intercesserit, ipse olim (De Monodiis Eurip. I p. 14) demonstravi. Sed haec licentia et quasi luxuries ne in monodias quidem Euripidis e vetusto illo, quo Thespis usus erat, sed e recentiore et eo longe diverso dithyrambo permanavit Melanippidis Melii, Cinesiae Atheniensis, Phrynidis Lesbii, Timothei Milesii, Philoxeni Cytherii. Jam dithyrambi et harmoniae phrygiae vestigia ab Aeschylo vix ulla, tenuissima a Sophocle relicta sunt, teste scriptore Vitae Sophocleae fin: *φησὶ δὲ Ἀριστόξενος, ὡς πρῶτος τῶν Ἀθήνηθεν ποιητῶν τὴν φρυγίαν μελοποιίαν εἰς τὰ ἴδια ἁρμάτα παρέλαβε καὶ τῷ διθυραμβικῷ τρόπῳ κατέμιξεν.* At ne *νητοειδὴς* quidem tropos, quem Aristides Quintilianus De Musica p. 30 tragico opposuit: *τρόποι δὲ μελοποιίας γένει μὲν τρεῖς· διθυραμβικὸς, νομικὸς, τραγικός. ὁ μὲν οὖν νομικὸς τρόπος ἐστὶ νητοειδὴς, ὁ δὲ διθυραμβικὸς μεσοειδὴς, ὁ δὲ τραγικὸς ὑπατοειδής*, ne ille quidem a tragoedia abhorret, sed ad dochmiacos numeros ab Euripide in Oreste v. 140 sqq. adhibitus est, ad cujus carminis v. 170 scholium exstat egregium: *τοῦτο τὸ μέλος ἐπὶ ταῖς λεγομέναις νήταις ᾄδεται καὶ ἔστιν ὀξύτατον*, quod scholium ipsius Aeschyli auctoritate confirmare licet, qui item de dochmiacis in Agam. v. 1112: „*ὀρθίοις ἐν νόμοις*“ (h. e. *ὀξυτάτοις*). Illuc revertor. Ego enim quum supra Phrynichum dixi, idem dixi Aeschylum, qui severam tragoediam a Phrynicho vix inchoatam longe melius perfecit et inter tragoediae auctores ab Horatio A. P. v. 279 loco a Thespide proximo repositus est. Aeschylus enim unus tragoediam ad tantum fastigium evexit, ut Aeschyli ingenio diceres ex ipsa Iliade ‚nescio quid majus natum esse Iliade‘. Phrynichus igitur, primus (ut ait Plutarchus in Sympos. I, 1, 5) flebilis tragoediae auctor (Choerilum enim nemo hic quidem nominavit ac ne Pratinam quidem, melicum alioquin eximie praestantem) sed Phrynichus ante omnia dithyrambi tumorem, quasi aliquam tragoediae strumam videtur exsecuisse. Deinde

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

Phrynichus Polyphradmonis f. ut est apud Suidam s. v., muliebrem personam addidit et tetrametrum (trochaicum) invenit i. e. multo ante inventum ad tragoediam transtulit, sicut eundem ad comoediam Aristophanes ap. Suidam s. v.: malo enim hic Aristoteli Poët. IV, 18. adsentiri quam Meinekio Hist. Crit. Com. p. 150. Nam tragicis (Aeschylum semper excipio) singulis fere singula aut certe non multa simul nova inventa ab Suida tribuuntur, ut Choerilo, Pratinae, Neophroni Sicyonio, Sophocli, Euripidi. Jure autem tragoediam et inventam esse eodem tempore et perfectam Themistius Or. XXVI p. 382 Dind. negavit, ante quem Aristoteles Poët. IV, 14. de tragoedia diserte scripsit: *κατὰ μικρὸν ηὐξήθη — καὶ πολλὰς μεταβολὰς μεταβαλοῦσα —*. Ita etiam Phrynichus certo lyricos, fortassis etiam Sicyonios poetas et Phliasios, certo e tragicis atticis Thespin, fortasse Pratinam quoque aut Choerilum secutus est. At nos hodie non pauca, quae ab aliis poetis Phrynichus adsumserat, quum unde sumserit primum auctorem ignoremus, in unum omnia conferre Phrynichum coacti sumus. Hunc et lyricum fuisse excellentem et de tragoedia praeclare meritum esse non sum nescius; sed quaecunque Phrynicho tribuere soleo, si solus omnia invenisset, poeta ipso Aeschylo prope major videtur futurus fuisse. De argumentis, quis non *τὰ βακχικὰ πάθη* meminit, de quibus acuta conjectura est Lobeckii in Aglaoph. p. 693 (confer etiam ibid. p. 1103), quae ipsa *Διονύσου πάθη* nascenti tragoediae argumento fuisse C. O. Müller in Doriens. II p. 359 ed. Schneid. et ad Aesch. Eumen. p. 191 ingeniose finxit, partim probante ut videtur Lobeckio in Aglaoph. p. 688. Et in Thespidis fabulam *τὰ Διονύσου πάθη* fortassis cadere possunt, quae eadem a Phrynicho procul abhorrent. Immo verissime Suidas s. v. *Φρύνιχος*: — *ἐνίκα ἐπὶ τῆς ξζ' Ὀλυμπιάδος*. Etenim hac ipsa Olympiade (ante Chr. 510) Pisistratidae exacti sunt, a quibus frustra Phrynichus petiisset, ut sibi res a Baccho alienas Bacchi festo primum canere liceret. Sed apud populum vix liberum, si quid ad imminuendas veteres sub Pisistratidis caerimonias pertineret, id tum maxime multo tutius fuit et impetrabilius. Quanquam sic quoque primis Phrynichi fabulis illud vulgo succlamatum est: „*οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον*," cujus proverbii origo sane, uti Plutarcho Sympos. I, 1, 5 aliisque visum est, ad Phrynichi nostri tragoedias videtur referenda esse. Nempe Pisistratus olim non tam tragoediam Thespidis quam saltationem ejusdem juverat, sicuti multo post pantomimorum saltationibus impense favit Octavianus, auctore primum Maecenate, tum etiam Pylade monente (ap. Cassium Dionem LIV, 17, ubi pantomimus: *συμφέρει σοι, Καῖσαρ, περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον ἀποδιατρίβεσθαι*). Immo Phrynichus, in cujus tragoediis non *Λυκοῦργος, Πενθεύς, Βάκχαι*, non ullum ejusmodi nomen sed alia omnia exstant, quum severam tragoediam nasci non posse vidisset, priusquam a Bacchi rebus quae pleraeque prope scurriles sunt abducta esset: primus aut inter primos ingentem rem aggressus, quae ad religiones pertineret victa Atheniensium superstitione tragoediam ipsam a Bacchi cultu et choros tragoediae a dithyrambo, hymno bacchico plane sejunxit. Maximam enim partem res mythicae (*μῦθοι καὶ πάθη* Plutarchus Sympos. I, 1, 5.) partim etiam ut in ‚Phoenissis' historicae neque tragoedia indignae tractatae sunt, sed paucis necdum satis decore, judice idoneo Aristophane, qui in Ranis v. 908 verbis *μώρους λαβὼν παρὰ Φρυνίχῳ τραφέντας* diverbia Phrynichi aperte vituperavit. Quem quum unico actore oporteret esse contentum, ita tragoedias scripsit, ut cum coryphaeo actor pauca interloqui soleret, pleraque autem longe pleraque e choris meris constarent. Quare Aristoteles et in Problem. XIX, 31 *τὰ μέλη* Phrynichi fuisse dicit *πολλαπλάσια τῶν μέτρων* et in Poët. IV, 16 ab Aeschylo chori carmina deminuta esse. Atque choros Phrynichi saepe ab ipso Aristophane summa laude celebrari videmus, velut in Vespis v. 220, ibid. v. 269, Avv. v. 749, Thesmoph. v. 166. Namque Phrynichi nostri temporibus lyrica Graecorum poesis maximo opere floruit, quam eandem Platonis (quem vide De Legg. III p. 700, E.) aetate recentiores lyrici mirifice corruperunt: *κεραννύντες* (verba sunt Platonis) *θρήνους τε ὕμνοις καὶ παίωνας διθυράμβοις καὶ αὐλῳδίας δὴ ταῖς κιθαρῳδίαις μιμούμενοι καὶ πάντα εἰς πάντα ξυνάγοντες κ. τ. ἑ.* Et Aeschylus quidem vi animos perfregit, Phrynichus autem voluptate perfuderat et jucunditate commendatus erat. Verum ut nos Demosthenem in quo maxima vis est dulci inprimis oratori

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

Hyperidi praeferre solemus: ita Aristophanes Aeschyli choros (*πολὺ πλεῖστα δὴ καὶ κάλλιστα μέλη*, his enim verbis in Ran. v. 1253 utitur) Phrynicheis profecto non postposuit. Quamobrem investiganda meliore Phrynichi, lyrici magis poëtae (Aristoteles Problem. XIX, 31) tragoedia non tam diverbia spectare debemus quam choros, qui tum ubique in eodem argumento versabantur. Nam Euripides demum multo post chorum suum nonnunquam aliena intercinere passus est more novo, quum Phrynichus in melicis ap. Pausaniam X, 31, 2 et haud dubie in omnibus choris rem egisset propositam. Qui ut quodam numinis afflatu tragoediam denuo conderet, Baccho excluso aliorum heroum graves miserabilesque casus non tam ab Homero quam a lyricis poetis sumsit, et sumsit magis quam elegit. Attamen inter lyricos quoque habuit, quem in materie non nimis dissimili insequi ducem posset, Stesichorum, epici carminis onera (ut bene Quintilianus) lyra sustinentem. Sed nonnullis in fabulis epicorum potius vestigiis videtur institisse. Praeterea tragici chori poëtarum Sicyoniorum jam tum exstabant, ad quorum exemplum Phrynicho vel maxime tragicos componere choros liceret. Adeo tragici chori jam ante Phrynichum reperti erant, qui ut ad lyricam poesin referuntur, ita singulare genus efficiunt et a caeteris hujus poesis partibus diversum. In summo autem fastigio tragicus chorus Phrynichi et Aeschyli stetit, quorum chorum Aristophanes non solum Euripidi verum etiam Sophocli anteponere non dubitavit. At tantus flos quum subito existere certe non potuerit, alii et ei boni poetae quos Phrynichus imitatus esse videatur, quaerendi atque circumspiciendi sunt. Primum igitur Phrynicho dithyrambis rejectis *ΘΡΗΝΟΙ* potissimum eorum lyricorum consulendi erant, quorum jam tum uti exemplis paullo ante Simonidem posset, quem in miseratione commovenda facile praecipuum fuisse accepimus. Sic et Euripidis choros Aristophanes in Ran. v. 1299 partim a threnis dixit pendere et ab Anacreonte Aeschylum atque Sophoclem scholiastes ad Prometheum v. 128: *ὁ ῥυθμὸς Ἀνακρεόντειός ἐστι κεκλασμένος πρὸς τὸ θρηνητικόν. ἐπεδήμησε γὰρ τῇ Ἀττικῇ Κριτίου ἐρῶν καὶ ἡρέσθη* (vulgo: *ἡράσθη*) *λίαν τοῖς μέλεσι τοῦ τραγικοῦ* (corrige: *ἡρέσθησαν λίαν τοῖς μέλεσιν αὐτοῦ οἱ τραγικοί*, eodemque redit Welckeri conjectura: *ἡρέσθη λ. τ. μέλεσιν αὐτοῦ ὁ τραγικός*). *ἐχρῶντο δὲ αὐτοῖς οὐκ ἐν παντὶ τόπῳ, ἀλλ' ἐν τοῖς θρηνητικοῖς, ὡς καὶ Σοφοκλῆς Τυροῖ β'*. Omnino multi lyrici, quos tragici imitati sint, a Pseudoplutarcho De Musica, in his etiam Sappho p. 1136 D afferuntur. Phrynichi quidem nostri carmina, quae scholiasta ad Ran. v. 1298 sq. non tam *τραγῳδικὰ* quam *κιθαρῳδικὰ* fuisse scribit i. e. non tam tragica quam lyrica nec tam ad tibiam cantata quam ad citharam, ex aliis lyricis tanquam fonte profluxerant, ex aliis Aeschylea, sicut Aristophanes ibidem v. 1295 testantem Aeschylum induxit: *ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ | λειμῶνα Μουσῶν ἱερὸν ὀφθείην δρέπων*. De qua re olim ad Ranas p. 393 conjecturas attuli parum veri similes. Hodie quosnam lyricos praeter Epigenem Phrynichus eximie secutus sit, me prorsus nescire fateor: sed Aeschylus in melicis permulta, velut praelongos versus dactylicos (Ran. v. 1293) ab Alcmane, Ibyco inprimisque ab Stesichoro sumsisse videtur, et eadem fere quae Plutarchus l. l. p. 1133 F Stesichoro, Aeschylo Timachidas ad Aristoph. Ran. v. 1282 attribuit.

Dixi Thespin inventorem tragoediae vulgo existimatum esse, quod primum actorem certo invenisset, Phrynichum autem actore Thespidis retento et argumentum tragoedia dignum tractare coepisse et chorum vere tragicum introduxisse chorique Phrynichei tantum fuisse splendorem, quantus postea in nullum tragicorum praeter unum Aeschylum cadere potuisse videatur. Quibus de rebus Hermannum l. l. p. 218 a Boeckhio frustra dissensisse arbitror. Restat, ut tragoediae, quae Thespidi antecessit, vestigia paucis persequi conemur. Principio Pseudoplato in Minoe p. 321 a. *ἡ τραγῳδία*, inquit, *ἐστὶ παλαιὸν ἐνθάδε, οὐχ ὡς οἴονται ἀπὸ Θέσπιδος ἀρξαμένη οὐδ' ἀπὸ Φρυνίχου, ἀλλ' εἰ θέλεις ἐννοῆσαι, πάνυ παλαιὸν αὐτὸ εἰρήσεις ὂν τῇδε τῆς πόλεως εὕρημα*, quod ipse non ut „paradoxon“ (Bentlejus De Phalar. p. 279) proponit sed ut rem cogitatione investigatam. Hic igitur Atheniensibus jam ante Thespidis tempora tragoediam dat, similiterque iisdem „*πρὸ Θέσπιδος*“ Pollux IV, 123 fin. chorum tribuit: quem chorum Aristoteles docet fuisse dithyrambicum. Praeterea etiam haec Themistii Or. XXVI p. 382 Dind: *καὶ οὐ προσέχομεν Ἀριστοτέλει ὅτι τὸ μὲν πρῶτον*

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

ὁ χορὸς εἰσιὼν ἤδεν εἰς τοὺς θεούς, Θέσπις δὲ πρόλογόν τε καὶ ῥῆσιν ἐξεῦρεν — et ad Athenienses et ad dithyrambum manifesto referenda sunt. Neque Diogenes L. III, 56: ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις — huic sententiae ullo modo adversatur. Enimvero haec Athenaei XIV p. 630, c.: συνεστήκει δὲ καὶ σατυρικὴ πᾶσα ποίησις τὸ παλαιὸν ἐκ χορῶν, ὡς καὶ ἡ τότε τραγῳδία· διόπερ οὐδὲ ὑποκριτὰς εἶχον, haec igitur magnam habent dubitationem. Athenis enim justae tragoediae fabula satyrica (quam antiquiorem fuisse praeter Aristotelem Poët. IV, 17 et § 18 Photius p. 357, 5 sive Suidas s. *Οὐδὲν π. τ. Δ.* testantur), huic satyricae rursus dithyrambi tempore praecesserunt. Quodsi oriens primum sine actore fabula Thespidis magis illa quidem satyrica tragoediae nomine dicenda est: tamen etiamtum usque ad Pratinae tempus cum satyris plane confusa erat. Itaque Athenis nullo tempore haec duo extiterunt, quae Athenaeus vere fuisse narrat, fabula satyrica et praeterea tragoedia, utraque e choris composita sine ullo histrione. In hos se laqueos Athenaeus induit: qui si de unis Athenis locutus est, quid scriberet nihil pensi habuit. Quapropter Athenaeus satyricam fabulam dixisse potest etiam Atticorum, tragoediam vero dixisse videtur Doriensium, praesertim quod haec non necessario ad Bacchum attineret. Quum enim satyrica fabula semper Bacchica fuerit, ex Athenaeo sequitur, antiquissimam tragoediam, quam ipse a satyris secernit, non semper Bacchicam fuisse. Ceterum de his Athenaei verbis quum Hermannus l. l. p. 218 minus apte disseruisset: postea in Praef. ad Eurip. Cycl. init. (p. V) multo melius tragoediae nomine ab Athenaeo dithyrambum dici conjecit, cujus tamen aliud atque Bacchicum argumentum fuisset. Nunc de re nimis obscura choro Doriensium ‚tragico' dicturus sum, licet in bicipiti somniasse Parnasso non meminerim. Verum ut Pyrrho duabus rationibus in statera examinatis postremo utra verior esset plane dicitur ignorasse: ita ego argumentis allatis et utraque parte similiter expensa ac paene exaequata ipsam rem in medio relinquam. Pertinent autem haec ad lyricam maxime poesin, quae omnino tot optimis poetis ex hoc ipso genere deperditis explicatus habet difficiles. Huc accedit, quod Athenienses invidia et odio occoecati ubique de Doriensium laude literaria detraxisse videntur, quum sibimet ipsi omnia vindicare solerent, antiquae autem Dorum gloriae etiam tacendo obtrectarent. In hunc Atheniensium livorem C. A. Böttiger in Opusc. p. 331 acerbius solito invectus est. Sed hic quoque ab Aristotele proficiscar, qui in Poët. III, 5: ἀντιποιοῦνται τῆς τε τραγῳδίας καὶ τῆς κωμῳδίας οἱ Δωριεῖς — τῆς τραγῳδίας ἔνιοι τῶν ἐν Πελοποννήσῳ —. Cui Doriensium sententiae primum mire favet ipsa dialectus sive doricae formae, quae in tragicorum choris (adde etiam comicorum) prope solae dominantur. Et Phliasiis quidem Dioscorides in Anthol. Pal. VII, 707, v. 4. (cf. ibid. 37, v. 3.) satyrici dramatis inventionem ob id maxime adsignasse videtur, quod Pratinam (qui tamen Athenis fabulas suas docuit) genere Phliasius fuit: in qua re cum Hermanno ad Aristot. Poët. p. 109 consentio. Dioscoridi adde scriptorem Vitae Sophocl. init. (*Βιογράφοι* p. 127 ed. Westerm.), qui de ipso Sophocle tragico: ἀπιστητέον καὶ τῷ Ἴστρῳ φάσκοντι αὐτὸν οὐκ Ἀθηναῖον ἀλλὰ Φλιάσιον εἶναι — εὑρεῖν, si modo ibi lectio *Φλιάσιον* et mox *Φλιάσιος* servanda est. Immo verissime Bentlejus De Phalar. p. 311 Aristotelis verba: ἔνιοι τῶν ἐν Πελοποννήσῳ inprimis de Sicyoniis accipienda esse judicavit, probe ille memor Themistii (Or. XXVII p. 406 ed. Dind.): τραγῳδίας εὑρεταὶ μὲν Σικυώνιοι, τελεσιουργοὶ δὲ Ἀττικοὶ ποιηταί. Nullius autem de hac re gravius testimonium est quam Herodoti V, 67: τά τε δὴ ἄλλα οἱ Σικυώνιοι ἐτίμων τὸν Ἄδρηστον καὶ δὴ πρὸς, τὰ πάθεα αὐτοῦ τραγικοῖσι χοροῖσι ἐγέραιρον, τὸν μὲν Διόνυσον οὐ τιμέοντες, τὸν δὲ Ἄδρηστον. Κλεισθένης δὲ χοροὺς μὲν τῷ Διονύσῳ ἀπέδωκε, τὴν δὲ ἄλλην θυσίην τῷ Μελανίππῳ. Verbo ἀπέδωκε, quod C. O. Müller (Die Dorier I p. 408 ed. Schneidew.) mire interpretatus choros illos primum Dionyso ductos esse finxit, Herodotus id unum indicavit, choros per se Dionyso magis utpote deo quam Adrasto debitos fuisse. Immo Sicyonii primum tristes Adrasti casus choris tragicis prosequi Adrastum non item Liberum colentes soliti erant, tum vero Clisthenes hos choros Adrasti memoriae ademtos dicavit Libero. Ipsi autem Sicyoniorum chori quamvis et lugubres et sacri Adrasto

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

tamen et ab Müllero l. l. 408 et Hermanno l. l. p. 216 pro dithyrambicis habiti sunt, puto quod eosdem postea Clisthenis jussu ad Bacchum translatos esse constaret. Adde quod etiam phallica, per quae comoediis Aristoteles Poët. IV, 14 praelusum ait, Sicyoniis solemnia fuerunt teste Athenaeo XIV p. 621, f. et Semo p. 622 c: unde non mirum est, comoediae inventionem ab Oneste Anthol. Palat. XI, 32 Sicyonem repente transferri. At sive semper dithyrambi sive prius threni Adrasto cantati sunt, haec multo potius tenenda erunt, primum Sicyonios mala (*τὰ πάθεα*) herois sui cecinisse, tunc autem ipsum heroa initio non Bacchum fuisse sed Adrastum: quod utrumque a Thespidis fabula abhorret, Phrynichi autem choris tragicis exemplo esse sane potuit. Jam e poetis Sicyoniis Thespim atticum tempore secuti sunt Praxilla poëtria, cujus etiam dithyrambi exstiterant, Praxillam lyricam tragicus isque Euripidis in Medea dux Neophron Sicyonius, quem minime Alexandro Macedoni sed Aeschylo fere aequalem fuisse alibi ostendam. His tempore non paullo antecessit Bacchidas Sicyonius, poeta lyricus, cujus epigramma apud Athenaeum XIV p. 629, a exstat, et quem Thespidi ferme vel Choerilo tragicis aetate supparem vel his quoque vetustiorem fuisse suspicor. Alius vero poeta, qui in nostra causa momentum facit, Epigenes Sicyonius adhuc Adrasto necdum Dionyso choros duxit ideoque aetate superior fuit Clisthene, qui tyrannus una generatione Thespim antecessit. Ab hoc Epigene comicum Epigenem, qui Antiphani comico aequalis fuit, Bentlejus De Phalar. p. 279 recte ille quidem distinxit, sed frustra dubitavit, an Sicyonius Epigenes unquam vixisset, quem per comicum cognominem non magis quam per comicum Phrynichum tragicum ejusdem nominis poetam reddere suspectum licet. Quin quidem vixerit Epigenes Sicyonius et jure inter poëtas relatus sit, praeter Bentlejum l. l. vix quisquam ac ne Hermannus quidem ad Aristot. Poët. p. 104 dubitavit. Multo post idem Hermannus (Opusc. VII p. 217) eundem Epigenem defendit tanquam ‚dramaticae' tragoediae inventorem, oblitus dramaticam tragoediam omnium consensione Athenis non Sicyone neque ab Epigene sed longe serius a Thespide inventam esse. Sed priusquam quaeramus, qualis ille tragicus cujusve tragoediae inventor fuerit, testes interrogandi sunt. Incipiam a Photio p. 357, 5 sive Suida s. *Οὐδὲν π. τ. Δ.*, sive Apostolio XIII, 42 (T. II p. 584 ed. L.): *Οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον: Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τραγῳδίαν εἰς αὐτὸν* (ita Photius et Apostolius, sed *εἰς τὸν Διόνυσον* Suidas) *ποιήσαντος ἐπεφώνησάν τινες τοῦτο, ὅθεν ἡ παροιμία. βέλτιον δὲ οὕτως* —. Quibus in locis *τραγῳδίαν εἰς τὸν Ἄδραστον ποιήσαντος* ex ipso Herodoto V, 67 corrigendum esse unus optime vidit C. O. Müller Dor. II p. 360 ed Schneid. Ceterum multo post Epigenem Achaeus tragoediam cui nomen erat *ΑΔΡΑΣΤΟΣ* teste Harpocratione s. *Ἀργᾶς* (p. 32, 17 ed. B.) Athenis docuit. Hic adde de Epigene nostro cod. Coislinianum ap. Leutschium Paroemiogr. I. p. 137: *τῆς γὰρ ποιήσεως τὸ πρῶτον ἐκ διθυράμβου τὴν καταρχὴν* (corrige, *τὴν ἀρχὴν*) *εἰληφυίας καὶ τὰ πρὸς τὸν Διόνυσον ἀνήκοντα πραγματευομένης, Ἐπιγένης ὁ Σικυώνιος οὐχ οὕτω ποιήσας ἤκουσε τοῦτον τὸν λόγον· οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον.* Desinam in Suidae s. *Θέσπις* locum memoria dignum: *Θέσπις, Ἰκαρίου πόλεως Ἀττικῆς, τραγικὸς ἐκκαιδέκατος ἀπὸ τοῦ πρώτου γενομένου τραγῳδιοποιοῦ Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τιθέμενος, ὡς δέ τινες, δεύτερος μετὰ Ἐπιγένην· ἄλλοι δὲ αὐτὸν πρῶτον τραγικὸν γενέσθαι φασίν.* Quam priscorum tragicorum successionem Lobeckius in Aglaoph. p. 975 vel ideo improbat, quod vix dubitari possit, quin Arion et huic similes alii illo ordine positi fuerint. Sane Arion tragicorum primus fuisse dicitur ab Jo. Tzetza ad Lycophr. p. 256 ed. Müll.: *τραγικοὶ δὲ ποιηταὶ Ἀρίων, Θέσπις, Φρύνιχος, Αἰσχύλος κ. τ. ἑ.* At fabulosus ille Arion etsi minime poeta fuit tragicus, tamen ab Hellanico aliisque pro dithyrambi inventore habitus est. Itaque hoc testimonium persona detracta fidem habet non minorem quam Aristotelis verba in Poet. IV, 14: *ἡ τραγῳδία — ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον.* Fortasse tamen Lobeckius Arioni similes alios tragicos aetate suppares, de quibus tacet, Aristolochum et Lysinum, qui in Pseudophalaridis Epistolis XVIII p. 102 atque XCIII p. 284 ed. Schäfer. memorantur, magis reformidavit, spectra verius tragoediae quam tragicos poëtas. Maxime vero Lobeckius Suidae tragicis XV ementitam epicorum successionem opposuit, h. e. Homeri stemma

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

ab genealogis fictum, de quo ipse ibid. I p. 323 sqq. optime disseruit. Et quum Agonis scriptor epicos Homero scilicet priores XV, et Charax XIV numeraverint: magna eis similitudo cum his XV tragicis intercedit. Verendum est enim ne XV tragicorum numerus utpote ad XV pseudepicos exactus fidem habere nequeat. Ex quo tamen minime sequitur, Suidae s. *Θέσπις* narrationem totam esse commentitiam. Nam Homerici stemmatis auctores quum soli scirent, quid Juno cum Jove fabulata esset, in rebus mere mythicis, tragicorum Thespide priorum scriptores in re historica versati sunt, in lyricae poeseos historia cum prima tragoedia conjunctae. Quare haec XV tragicorum series multo potius cum philosophorum in unaquaque schola successionibus apud Diogenem Laertium aliosque comparanda est. Nam id unum ab Lobeckio effectum est, ut apud Suidam s. *Θέσπις* numerus *ἐκκαιδέκατος* justa quadam suspicione vix carere possit. Fac pro eo *ὄγδοος* dicendum fuisse: habebis verbi causa duo parentes dithyrambi, duo item satyrici chori auctores, tres denique tragoediae Phrynicheae anteambulones. An quisquam erit, qui talia omnino quaerenda esse negare ausit? Quid igitur utilius cognitu est aut magis necessarium quam historia poeseos lyricae: de hac enim maxime nunc agimus. Fac denique XIV tragicos ac potius praecursores tragoediae de medio omnes tollendos esse (quod ne quis occipiat, graviter intercedo): unus tamen sic quoque qui loco moveri non possit Epigenes manebit. Tunc igitur Suidas s. *Θέσπις* hoc dicet, Epigenem Sicyonium primum omnium tragicorum fuisse et Thespin ab eo secundum, aliis tamen placere Thespin tragicum ordine primum exstitisse. Ego vero dudum vereor, ne Lobeckius quum stemma Homericum comparasset et ei soli pernimium tribuisset, primariam rem neglexerit. Hoc enim quaerendum erat, qui factum sit, ut Thespis ab aliis grammaticis decimus sextus, ab aliis post Epigenem secundus, ab aliis tragicus omnium primus fuisse diceretur. Apparet autem primum eos, qui Epigenem solum exciperent, non tantum huic plus quam caeteris XIV tribuisse, sed etiam Epigenem pro vere tragico poëta habuisse. Et hoc illud est, quod jam supra significavi, Epigenem qui Adrastum non Bacchum neque ludicras res sed lugubres caneret, poetam Phrynichi tragici quam Thespidis videri similiorem fuisse. Tum id quoque satis apparet, qui ne Epigene quidem ad hunc numerum relato ab Thespide tragoediam primum conditam esse dixissent, eos ipsum Epigenem cum aliis XIV exemtos voluisse, non quo Epigenes et caeteri aut nunquam vixissent aut certe non fuissent poetae, sed quod eos omnes lyricos fuisse poetas dicerent, tragicos autem negarent. Verum iisdem minime negandum erat, ab Epigene Sicyonio aliisque lyricis chori Atticorum tragici elementa lyrica, argumenta ipsosque rhythmos sumi potuisse. Ac si meam opinionem tantis rebus inserere licet, plane suspicor Epigenem omnino non tragicum poetam sed unice lyricum fuisse. Quum enim Aristoteles vel de Phrynichi tragoedia partim illa jam dramatica hisce verbis usus sit in Problem. XIX, 31: *οἱ περὶ Φρύνιχον ἦσαν μᾶλλον μελοποιοί*, non intelligo, quomodo tanto ante Thespin Epigenes lyrica poesi tum maxime vigente, dramate autem nondum invento poëta esse tragicus potuerit. Itaque quod Peloponnesii ac potissimum Sicyonii sibi tragoediam vindicarunt, id unice ad choros tragoediae spectare potuit. Fateor equidem ad inveniendam tragoediam Sicyoniis poetis per se ne opus quidem fuisse atque Phrynichum tragicum ab aliis lyricis, qui ante ipsum jam multi floruerant, lugubres modos repetere potuisse. Nunc autem quum ab Sicyoniis poetis choros tragicos ex parte pendere testis sit historia: suspicari cogimur, Phrynichum modos quoque suos ad priscos modos in memoriam Adrasti praeceptos partim accommodasse et Epigenis lyrici exemplum in choris imitatum esse. Chori enim tragici tametsi ad lyricam poesin referendi sunt, tamen in hac poesi, cujus notio generalis est, specie a caeteris hujus poesis partibus chori tragici magnopere distant. Quanquam vel sic Phrynichi chorus ab hymno Epigenis Sicyonii in magna similitudine diversus fuerit necesse est: quando Aeschylei chori reliquis ejusdem tragoediae partibus adeo illigati et tam arcte cum iis connexi sunt, ut inde divelli nullo modo posse videantur. Quamobrem et Boeckhium caeterosque et ex altera parte Lobeckium atque G. Hermannum, etsi neutros plane sequi duces audeo, tamen utrosque partem veri vidisse opinor nec tantum Hermanni lancem

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

propendere, ut Boeckhium quasi in altera lance positum deprimat. Ut enim Hermannus ‚tragoediam' lyricam exstitisse suo jure negavit: ita Boeckhius tragoediam atticam ab lyrica Doriensium poesi suspensam fuisse non minus recte perspexit. Qui quod nomine parum apto usus est ideoque ‚tragoediam lyricam' falso commentus esse dicitur: primum defensores Boeckhii, ut C. O. Müller (Die Dorier II. p. 408) cautius de ‚initiis tragoediae (lyricae) necdum veris dramatis' locuti sunt, deinde videndum est, ne Boeckhii sententia omnino in verbi magis quam rei ipsius controversiam adducta sit. Certe ego cujusmodi tandem ‚tragoediam lyricam' esse voluerit, a Boeckhio nusquam sat clare dictum esse reperio. Quid, quod ipsi jam Graeci similiter ac Boeckhius voce „*τραγῳδία*" abusi sunt. Nam ab Suida s. *Σιμωνίδης* Simonidi Ceo praeter alia etiam *τραγῳδίαι* (ita vulgo, sed *τραγῳδία* cod. Parisinus et schol. Aldinus ad Ar. Vespas v. 1411) tribuuntur, quas ego potius ‚threnodias' fuisse Lobeckio l. l. p. 977 prorsus adsentior. Ita plane poetis Thespide prioribus maximeque Sicyoniis ut Epigeni „*τραγῳδίαι*" (hoc ipso nomine) ab Athenaeo XIV p. 630, c, ab Photio p. 357, 5, ab Suida s. *Θέσπις* et *τραγικοὶ χοροὶ* ab Herodoto V, 67 adsignantur. Qui ita locuti sunt, primum in re ipsa, ut supra dixi, habuerunt quod sequi recte liceret, tum ne verbo quidem plane lapsi sunt, sed in negligentiam quandam inciderunt. Praeclare autem docuit Bentlejus De Phalar. p. 315, cui Wesselingius ad Herodot. V, 67, non item C. A. Böttiger Opusc. p. 331 adsensus est, Herodotum et si qui alii ita locuti sunt, eos prolepsis figuram sive id anticipationis genus usurpasse, quod omnibus omnino scriptoribus commune sit. Huc accedit, quod et ipsum hoc nomen *τραγῳδία* apud novitios Graecos perlate patuisse scimus, ut recte Lobeckius in Agl. p. 977 et quod *κωμῳδεῖν* saepe est alios extra theatrum irridere, de qua re Perizonius ad Aelian. Varr. Hist. II, 13 p. 87 exposuit, et quod v. *κωμῳδία* haud raro de ‚satira' Romanorum usurpatur, uti nuper (De scriptoribus satiricis I p. 4) ostendimus. Quibus omnibus Meinekii locos in Hist. Com. p. 527 cumuli loco adjicere licet.

Explicavi, ut potui, tragoediae graecae origines atque sedulo cavi, ne quid nimis viderer adfirmasse. De comoediae autem incunabulis, re non minus impedita atque tragoediae primordiis innexa et ab iis suspensa, alius mihi seorsim dicendi locus constitutus est.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim ternis diebus h. IX recentiorem philosophiae christianae inde a Cartesio ad nostra usque tempora historiam enarrabit; 2) privatim quinis diebus h. X et diebus Jovis et Veneris h. IX. theologiam dogmaticam tradet; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim quinis diebus h. III epistolam ad Hebraeos interpretabitur; 2) privatim quinis diebus h. IV. Isagogen in N. Testamentum docebit; 3) publice conversatorium theologicum moderabitur binis horis definiendis.

D. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice de die dominica quid scriptura sacra et ecclesia nostra statuat profitebitur, semel p. h. hora defin.; 2) privatim historiam sacram Veteris Foederis enarrabit quinis p. h. scholis, hora XII—I; 3) privatim Psalmos interpretabitur, quinquies p. h. hora XI—XII; 4) privatissime sed gratis selecta versionis bibliorum quam Peschito vocant nec non S. Ephraemi Syri capita explicanda proponet, binis p. h. horis definiendis.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinquies p. hebd. h. VIII, 2) privatim historiam dogmatum quinquies per hebd. h. XII enarrabit; 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario homiletico-catechetico die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

In ordine juridico.

D. Otto Mejer, P. P. O., h. IX encyclopaediam et methodologiam juris, h. XI jus publicum Germanicum quinquies per hebd. docebit.

D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., h. t. Decanus, 1) institutiones juris Romani tradet quinis per hebd. scholis h. XI; 2) jus here-

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

ditarium docebit quinis scholis h. XII; 3) collegium quod vocant practicum civile instituet die Saturni h. III—V vel aliis horis commodis.

D. Victor de Meibom, P. P. O., 1) jus privatum Germanicum quinis p. h. scholis h. III, 2) jus feudale ter h. IV, 3) introductionem in jus Meklenburgicum ter h. IV tradet.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., theoriam processus civilis ordinarii secundum jus commune tradet, juris particularis Meklenburgici habita ratione, sexies p. h. hora IX.

D. Theodorus Muther, P. P. O., 1) pandectas tradet duodenis per hebd. scholis h. X—XII; 2) exercitationes exegeticas habebit semel p. h. hora commoda.

In ordine medico.

D. Carolus Strempel, P. P. O., Academiae Senior, valetudine impeditus lectiones non indicit.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., tradet: 1) encyclopaediam et methodologiam horis ternis; 2) pathologiam generalem horis binis; 3) disseret de morbis epizooticis et zoonusis hominis horis binis.

D. Carolus Bergmann, P. P. O., tradet: 1) anatomes c. h. partem primam senis p. hebd. horis; 2) anatomen comparatam ternis p. hebd. horis; 3) medicinam forensem in usum jurisconsultorum ternis p. hebd. horis; 4) exercitationes anatomicas assistente Prosectore L. Gronau diriget.

D. Gustavus Veit, P. P. O., h. t. Decanus, 1) artem obstetriciam quaternis p. h. scholis h. III docebit; 2) de morbis mulierum quaternis p. h. scholis h. II disseret; 3) exercitationes practicas in clinico obstetricio senis diebus h. VIII moderabitur.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) anatomen pathologicam binis p. h. horis; 2) pathologiam et therapiam specialem senis diebus h. IX docebit; 3) exercitationes practicas in clinico medico senis diebus h. X moderabitur.

D. Gustavus Simon, P. P. O., docebit: 1) chirurgiae partem primam quaternis, 2) ophtalmologiae partem binis p. h. scholis; 3) exercitationes practicas in clinico chirurgico et ophthalmiatrico senis diebus moderabitur.

D. Theodorus Ackermann, P. P. E., privatim 1) quaestiones pathologicas et diagnosticas quaternis p. h. horis instituet; 2) materiam medicam quaternis p. h. horis docebit; 3) policlinicum medico-chirurgicum quaternis p. h. horis moderari perget.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

D. Joannes Schroeder tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum; 4) examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., privatim: 1) quaternis diebus h. VIII Aristophanis Ranas interpretabitur; 2) binis diebus h. VIII Horati sermones (lib. I^mum) explicabit; 3) ternis diebus h. III antiquitates scenicas illustrabit. Horis consuetis Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo Euripidis Andromache atque C. Plini Secundi Hist. Natur. Libb. XXXV seqq. tractabuntur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., h. t. Rector, privatim docebit: 1) zoologiam generalem, demonstrationibus in Museo academico illustrandam, senis diebus h. XI; 2) plantas cryptogamicas explicabit diebus Martis et Veneris h. X; publice 3) familias quasdam regni vegetabilis paulo accuratius tractabit diebus Lunae et Jovis h. X.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim 1) quinquies p. h. culturam silvarum docebit h. IX; 2) de praedio rite administrando exponet quinis diebus h. III.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim: 1) ter p. h. Euripidis Jonem interpretabitur; 2) ter p. h. Propertii carmina explicabit; privatissime: 3) quater p. h. selecta capita Mythologiae graecae tractabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., h. t. Decanus, docebit publice 1) astronomiam popularem bis p. h.; privatim: 2) calculum differentialem, quater p. h.; 3) mineralogiam, quater p. h.

D. Franciscus Schulze, P. P. O., 1) chemiam organicam docebit diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. IV—VI; 2) physices partem alteram de calore, electricitate et magnetismo docebit et experimentis illustrabit diebus Martis et Jovis h. IV—VI; 3) exercitationes chemicas moderabitur, diebus Martis et Veneris h. VIII—XII, nec non quotidie horis commodis.

D. Carolus Bartsch, P. P. O., 1) publice de Goethio et Schillero disseret bis p. h.; 2) privatim grammaticam theotiscam tradet quaternis p. h. scholis; 3) Seminarii philologici teutonici moderari perget exercitationes.

D. Georgius Voigt, P. P. O., privatim: 1) historiam reipublicae Romanae docebit quater p. h.; publice 2) historiam nationis Germanicae a Caroli V. electione usque ad pacis Westfalicae compositionem enarrabit binis p. h. scholis; 3) exercitationibus historicis fontes medii aevi explicabit.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., 1) doctrinam oeconomiae publicae quinis diebus, 2) disciplinam publicam (Polizeiwissenschaft) tradet.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

D. Fridericus Francke, P. P. E., publice 1) initia philosophiae, habita ratione ejus methodi et summae, breviter praescribet, quaternis p. h. dd.; 2) philosophiam historiae generis humani designabit, ternis p. h. dd.; privatim 3) metaphysicam quinis et 4) ethicam s. doctrinam morum philosophicam exponet, itidem quinis p. h. dd.

D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E., privatim 1) quaternis diebus h. III—IV Thucydidis libros primos interpretabitur; 2) quaternis diebus h. IV—V Taciti historiarum libros explicabit; 3) binis diebus h. III—IV de vita Romanorum privata disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. Carolus Weinholtz privatim docebit: 1) organoidealismi institutiones ex systemate suo (Leipzig 1856); 2) de psychologiae, quae vulgo dicitur, et anthropologiae organico-psychicae discrimine, nec non de psychologiae illius infirmitate disseret.

D. Julius Robert 1) privatim quater p. h. de lingua Gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam literarum francogallicarum saeculi 18^mi^ docebit ter p. h.; 3) virorum literatorum, qui nunc florent imagines depinget publice bis p. h.

D. Ferdinandus de Roda in Seminarii sodalitio cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit, quater p. h.

D. Salomo Gustavus Ludovicus Cohen: 1) scholas practicas veterinarias habebit in eorum usum qui agriculturae student; 2) de solea equorum ferrea additis demonstrationibus practicis exponet; 3) de equi specie externa, aetatis notis, cibo et curatione additis demonstrationibus practicis disseret.

D. E. John de cura agri horis definiendis tractabit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis patebit, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales publice profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur
J. Roeper, Med. et Phil. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **J. Bachmann,** Th. D.
Jurisconsultorum **H. A. Schwanert,** J. U. D.
Medicorum **G. Veit,** M. D.
Philosophorum **H. Karsten,** Ph. D.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010